Noverint universi quod Ego Petrus de sancto daniele filius petri de sancto daniele prochie de Saliqua gratis et ex certa sciencia confiteor et recognosco vobis venerabili domine Alamande de goello infirmarie monasterii sancti danielis Gerunde presenti quod ego racione mei mansi danielis dicte prochie de Saliqua ex eo et pro quo
vos et vestri successores in officio vestro infirmarie habere debetis et consuevistis homines et mulieres in ipso manso residenciam facientes sum et esse debeo homo proprius et solidus vester et vobis succedencium in officio ipso infirmarie una cum prole mea nata et nascitura et cum omnibus bonis meis mobilibus presentibus et futuris. Et ego margarita uxor dicti petri de sancto daniele libera et francha ab omni dominio et servitute cuiuscumque domini terrenalis gratis et ex certa sciencia evenio et me facio feminam propriam et solidam vestri dicte domine Alamande de goello infirmarie una cum omni prole ex me procreanda et cum omnibus bonis mobilibus meis presentibus et futuris, pro eo quia causa matrimonii contracti dictum mansum dicti viri mei.
Et sic nos dicti coniuges promittimus et convenimus vobis dicte domine infirmarie et vestris succedentibus supradictis quod erimus vobis et eis semper boni et fideles atque legales tam de corpore quam de avere et quod non intrabimus causa morandi vel domicilium transferendi aliqua civitate villa seu castrum vel locum aliquem alium privilegiatum nec aliud faciemus seu tractabimus propter quod vos vel vestri succedentes premissi in dicto officio possitis sive possint nos amittere et alios dominos lucrari immo semper vos et dictas vestri succedentes pro veris dominis naturalibus reclamabimus obligando propter hec vobis et dictis vestris succedentibus omnia nostra bona mobilia presencia et futura ubique habita et habenda. Jurantes sponte per deum et eius sancta quatuor evangelia a nobis corporaliter tacta predicta et infrascripta omnia et singula attendere et complere ac semper rata grata et firma habere tenere et servare et nullatenus contrafacere vel venire aliqua racione. Et de hac pro premissis facimus et prestamus vobis homagium scilicet ego dictus petrus ore et manibus petro bernardi de plis capellano sancti danielis recipienti vestri nomine et mandato et ego dicta margarita vobis tantum manibus comendatum. Actum est hoc in monasterio sancti danielis Gerunde die decima mensis augusti anno a nativitate domini Millesimo Trecentesimo Octuagesimo Sexto. Signum ✠ signum ✠ ✠ petri de sancto daniele et margarite coniugum predictorum qui hec firmamus et laudamus pariterque iuramus. Testes huius rei sunt Arnaldus dalmacii prochie de villablareo et berengarius morelli scriptor Gerunde commorans.

Signum Petrus de ponte notarius publicus substitutus auctoritate regia a jaffredo de campolongo pro curia baiulie ... Gerunde ... premissis interfui et hec scribi feci et clausi.

Nº 1

Capbreuacio de home propri [illegible] de la Pia de St Daniel a favor de la Infermera de St Daniel del mas Daniel de Sàlitja a 10 Agost 1386 nott Pere de Ponte

Inc. Infermaria [illegible] nº 99

H. 4.

T. 225 X 342

1054